

fidem, quam de illo habemus, colitur. Et tales ritus, tales caeremoniae, ut validè sacramentaliter fiant, non sunt actus Religionis, sed respiciuntur a characterè. Unde non dicit S. Doct. quòd character ordinatur ad cultum divinum, sed ad ea, quae sunt cultus divini.

Petes 3. Utrum character sit indelebilis? Quamvis hanc Quaestionem a Concilio Flor. & Trid. definitam jam ostenderimus; attamen ad majorem elucidationem iterum examini subijcimus. Pro quo observandum est, tò *indelebilis* posse duplici sensu intelligi. 1. respectivè ad omnipotentiam Dei; & hoc sensu certum est, characterem posse deleri, sicut ipsa anima, & ejus potentiae, in quibus subjectatur, possunt destrui a Deo. 2. secundum legem communem, & attentam characteris natura. Et hoc sensu procedit Quaestio. Unde

R. (*Ibid. art. 5. o.*) Character est indelebilis. Prob. 1. (*Ibid.*) Character sacramentalis, ut diximus, est participatio Sacerdotii Christi; atqui Sacerdotium Christi est æternum, juxta illud Ps. 109. *Tu es Sacerdos in æternum*: ergo. Prob. 2. (*Ibid.*) Character non potest destrui physicè a suo contrario; quia, cum sit potentia, non habet contrarium: neque moraliter in peccati peccati; quia etiam peccatoribus imprimitur: neque per accidens ad destructionem sui subjecti; quia ejus subjectum, scilicet anima, secundam partem intellectivam est secundum se incorruptibilis: ergo.

Dices: Gratia est participatio divinæ naturæ, quæ est æterna, & immutabilis; atqui, hoc non obstante, gratia non est indelebilis: ergo nec character, quamvis sit participatio æterni Sacerdotii Christi. R. D. Maj. (*Ibid. ad 1.*) Gratia est participatio divinæ naturæ per modum formæ completæ, C. per modum formæ instrumentalis ut character, N. Gratia igitur

DISSERTATIO V. DE CAUSA SACRAMENTORUM

Div. Thom. Q. 64.

Duplex est Sacramentorum causa; instituens, & exequens, seu ministrans: de utraque in hac Dissert. agemus. 1. Et breviter de Institutore Sacramentorum. 2. Et fusius de eorum Ministro.

ARTICULUS I.

Utrum omnia novæ Legis Sacramenta sint immediatè instituta a Christo?

Suppono 1. (*Hic q. 64. art. 1. o.*) solum Deum per auctoritatem propriam esse Auctorem principalem omnium Sacramentorum; quia ille solus potest auctoritate propria conferre rebus sensibilibus virtutem causandi gratiam, quæ est eius naturæ participatio. Suppono 2. ex communi sententia Theologorum, Sacramenta, tam legis naturæ, quam legis scriptæ, fuisse immediatè a Deo instituta; Moysen autem, & Angelos fuisse tantum illorum, sicut & ipsius legis, promulgatores. In lege scripta patet de Circumcisione Gen. 17. de aliis in Exodo, & Levitico. Idem dicendum est de Sacramentis legis naturæ; cum nullum sit fundamentum dicendi, quòd Deus alicui fecerit potestatem illa instituendi. Neque refert, quòd tunc homines determinarent signa sensibilia, in quibus consistebant Sacramenta; quia, qui hæc signa determinabant, non eis conferebant vim significandi, aut causandi gratiam, quod requiritur ad institutionem Sacramenti, sed solus Deus, qui staturat sanctificare homines per signa sensibilia ab ipsis determinanda. Determinabant igitur tunc homines materiam Sacramenti, sed Sacramentum non instituebant.

Quæstio est itaque de Sacramentis novæ Legis. Non omnia esse a Christo immediatè instituta, contenderunt quidam antiqui Theologi. Hugo. Vict. & Magister Sent. censuerunt, Extremam-Uncionem post Ascensionem Christi ab Apostolis fuisse institutam. Alexander Alensis, & S. Bonavent. docuerunt, Confirmationem institutam fuisse ab Ecclesia in Concilio Meldensi ann. 845. cum tamen in ejus Canonibus nihil de institutione Confirmationis legatur: sed dumtaxat Can. 44. prohibetur Chorepiscopis Confirmationem conferre. Can. 45. vetatur Episcopis propter sacrum Christum aliquid muneris accipere. Can. 46. præcipitur, ut nemo sacrum Christum nisi in feria quinta majoris hebdomadæ conferre præsumat. Contra hos itaque juxta sententiam nunc communiter receptam.

Dico: (*Ibid. art. 4. ad 1. & 3.*) Omnia novæ Legis Sacramenta fuerunt immediatè a Christo instituta. Prob. 1. ar-

est forma completa, & datur animæ, ut ea mediante operetur tamquam causa principalis juxta suum liberum arbitrium; & ideò datur juxta conditionem animæ liberè, & mutabiliter operantis. At verò character est virtus instrumentalis; & ideò sequitur conditiones agentis principalis, a quo natus est moveri; agens autem principale, scilicet Deus, est immutabile.

Replicabis: Sicut gratia, sic characterè utitur, quandò volumus: ergo nulla disparitas. R. D. Ant. Sicut gratia, sic characterè utitur, quandò volumus, sed diverso modo, C. & eodem modo, N. Etenim 1. homo gratia utitur, ut causa principalis, characterè verò, ut causa instrumentalis; & ideò gratia dependet a mobilitate volentis, non verò character. 2. Homo gratia utitur, quandò vult bene tantum, non verò quandò vult malè, tunc enim destruitur gratia; characterè verò utitur, quandò vult bene, & malè. Undè gratia habet contrarium, scilicet peccatum, per quod destruitur, non verò character.

Hinc colliges, (*Hic q. 64. art. 1. o.*) characterem manere post mortem in Cælo, & in Inferno; quia, quamvis post hanc vitam non maneat exterior cultus, remanet tamen finis hujus cultus: ideò post hanc vitam remanet character in bonis ad eorum gloriam, in malis ad eorum ignominiam: sicut etiam character militaris remanet in militibus post adeptam victoriam, in his qui vixerant ad gloriam, in his qui sunt victi ad poenam. Ex quo ulterius colliges, quòd, si Sacerdos resuscitaretur, non esset iterum baptizandus, neque confirmandus, neque ordinandus: secus de conjugibus resuscitatis, qui iterum forent copulandi; quia vinculum conjugale morte dissolvitur, secundum Apost. 1. Cor. 7.

gumento in Scripturis fundato. Si cui mortalium Christus contulisset potestatem instituendi Sacramenta, maximè Apostolis, qui post Christum lapidem angularem sunt Ecclesie Fundatores; atqui non contulit Apostolis: ergo nemini. Prob. Min. Apostoli in Scripturis pluries se dicunt Ministros, & Dispensatores Sacramentorum, nusquam Institutores. Sic 1. Cor. 3. dicit Apost. *Quid igitur est Apollo? quid verò Paulus? Ministri ejus cui credidistis.* Et c. 4. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* 1. Petri 4. Omnes Ecclesie Rectores vocantur *Dispensatores multiformis gratiæ Dei*: ergo. Conf. 1. S. Lucas Act. 1. narrat, Christum post Resurrectionem per 40. dies conversatum fuisse cum Apostolis, loquentem de regno Dei, id est, de Ecclesia Dei edificanda, & administranda; ædificatur autem, & administratur Ecclesia per fidem, & Sacramenta. Undè S. Leo serm. 1. de Ascens. c. 2. dicit: *Non ergo it dies, dilectissimi, qui inter Resurrectionem Domini, Ascensionemque fluxerunt, otioso transire decursu; sed magna in eis confirmata Sacramenta, magna sunt revelata Mystera.* Conf. 2. Nullum est Sacramentum, cujus mentio non habeatur in Scripturis, ut jam alibi vidimus, & infra probabimus, dum de singulis agemus: ergo par est, eorum institutionem immediatè ad Christum referre. Item Sacramenta veteris Legis, infirma, & egena elementa, fuerunt immediatè a Deo instituta, quidni Sacramenta novæ Legis, longè præstantiora, & efficaciora?

Prob. 2. Ex Patribus. S. Ambros. l. 4. de Sacram. c. 4. *Auctor Sacramentorum, inquit, quis est, nisi Dominus Jesus? de Cælo ista Sacramenta venerunt Aug. l. de vera Relig. c. 17. Ab ipsa Dei sapientia homine assumpto, a quo in libertatem vocati sumus, pauca Sacramenta saluberrima constituta sunt, que societatem Christiani populi, hoc est, sub uno Deo libera multitudinis, continentur.* Idem Ep. 118. ad Januarium. Hæc autem intelligi debere de institutione immediatè patet ex modo dicendis.

Prob. 3. auctoritate Concilii Trid. sess. 7. Can. 1. qui sic legitur: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia a Jesu Christo instituta... Anathema sit.* Ubi, quamvis particula *immediatè* sit omissa, eam tamen esse de mente Concilii sequentibus momentis evincuntur. 1. Ex communi sensu, & modo loquendi ille dicitur instituisse, qui per se immediatè inchoat, statuit, determinat, instituit: sicut ille dicitur præcipere, qui per se immediatè præcipit. Undè, sicut quæ præcipit Ecclesia, non dicuntur præcepta a Christo, licet Eccle-

DE SACRAMENTIS IN COMMUNI.

sia præcipiat auctoritate a Christo delegata; ita nec Sacramenta dicerentur instituta a Christo, si essent instituta ab Ecclesia, quamvis auctoritate a Christo delegata.

Si dicas: Christus dicitur operari miracula, quæ Apostoli ejus virtute operabantur: Deus dicitur efficere, quæ per causas secundas efficit: ergo similiter potest dici instituisse Sacramenta, quæ Apostoli, vel Ecclesia ejus auctoritate instituerunt. R. N. Consequ. Quia ex usu loquendi, dum nomino causam efficientem, abstracto a causa immediatè, vel mediata; dum autem nomino institutorem, intelligitur is, qui statuit, determinat, & est Auctor immediatus, sicut dicitur est de eo, qui præcipit. Non enim, v. gr. de ritibus, & caeremoniis Sacramentorum ab Ecclesia institutis dicimus, quòd Christus illos instituerit, quamvis Ecclesia statuerit potestatem sibi a Christo commissa; & hoc maximè verum est juxta modum loquendi Concilii. Nam

2. Concilium sess. 14. Can. 1. definit, Extremam-Uncionem, de qua est præcipue difficultas, fuisse institutam a Christo, & a Jacobo promulgatam: non dicit explicitè a Christo immediatè institutam, & nullus dubitat se intellexisse: nam, si esset instituta immediatè a S. Jacobo, & eo mediate a Christo, non esset ratio, cur sola promulgatio tribueretur Jacobo, & institutio soli Christo. Ergo patet, cum superius dixi, omnia Sacramenta esse instituta a Christo, intelligi *immediatè*. 3. Si Ecclesia aliquæ Sacramenta instituerit, potest eorum substantiam mutare, sicut potest mutare eorum ritus, quos instituit: atquid dicitur negat Trid. sess. 21. cap. 2. declarans, esse in Ecclesia potestatem mutandi ritus Sacramentorum *salva eorum substantia*: ergo.

3. Quæritur (*Ibid.*) Conclusio congruentis; ratio enim a priori est voluntas Christi. 1. Non erat congruum, Sacramenta insitui ab hominibus propter utilitatem Fidelium, ne spem ponerent in homine, a quo habentur Sacramenta. 2. Ne propter diversitatem Sacramentorum Schisma in Ecclesia oriretur, sicut contigit illis, qui 1. Cor. 1. dicebant: *Ego sum Pauli; Ego autem Apollonis; Ego verò Cephe.* 3. Ne in Ecclesia essent multi capita. 4. Christus est fundator Ecclesie, Ecclesia autem fundatur per fidem, & Sacramenta; priusque debet esse fundata, quam instituantur Ministri in ea operaturi.

Obi. 1. Aug. libr. 3. de Doctr. Christ. c. 9. dicit de Sacramentis: *Ipsæ Deus, & Apostolica tradidit Disciplina.* 2. Idem Ep. 118. ad Januarium recensens Baptismum, & Eucharistiam ut instituta a Christo, addit: *Et si quid aliud commendatur in Scripturis.* Quibus verbis videtur agnoscere tantum duo Sacramenta a Christo instituta, aut saltem non nisi ea, quorum institutio referatur in Scripturis. 3. Auctor Sermonis de ablutione pedum apud Cyprianum: *Ipsæ sumus Sacerdos*, inquit, *sui, & Sacramenti Institutor, & Auctor: homines in cæteris Spiritum S. habere Doctorem*: ergo. R. ad 1. sensum Augustini esse, quòd, quæ Dominus tradidit ut institueret, eadem Apostoli tradiderunt ut Promulgatores. Ad 2. Aug. ex pluribus refert duo Sacramenta exempli causa, & alia agnoscit, non quæ instituantur, sed quæ commendantur in Scripturis; sive eorum institutio referatur, sive non: omnia autem commendari in Scripturis jam diximus, dum de effectu primario Sacramentorum, & iterum disemus dum de singulis. Ad 3. dum iste Auctor dicit, *Homines in cæteris habuisse Spiritum S. Doctorem*, non intelligit in cæteris Sacramentis: alioquin esset contra ipsos obijctores, qui ultra Eucharistiam agnoscent alia Sacramenta, scilicet Baptismum esse a Christo immediatè institutum: sed in cæteris, quæ spectant Eucharistiae celebrationem, ut sunt ritus, liturgiæ, jejunium &c. quæ ex Apostolica traditione habentur.

Petes 1. Utrum conclusio nostra sit de Fide: R. propter argumenta deducta ex Trid. Bellarm. Becanus, Vasquez, Gonet, & alii plures tenent partem affirmativam: negativam Estius, Soto, Card. Gotri, Tournely, Berti, & alii; præsertim duo insignes Theologi Flandri, qui Concilio interfuerunt, Jodocus Ravestein in Apologia Decretorum Concilii adversus Kennium, & Richardus Tappertus in explicatione Articulorum Fœderatis Theologicæ Lovan. hæc dicit ratione, quòd Concilium in sua definitione non dixerit *immediatè*: & quamvis ratiocinationibus Theologicis clarè, ut nobis videtur, evincatur, hæc esse ejus mentem, id tamen ad definitionem fidei sufficere negant: carpuntque Bellarminum, quòd dixerit inutilem fore denoniam Concilii, si non intelligeretur *immediatè*; quia nullus inquam negavit, Sacramenta esse a Christo mediatè instituta: proferunt enim plures Hæreticos, qui affirmant, Sacramenta quædam neque mediatè, neque immediatè esse a Christo instituta, sed esse otiosas superstitiones, commenta, & deliramenta humana, vel diabolica. His attentis, videtur probabile quidem, at non certum, conclusionem nostram esse de fide; neque qui eam negaret, incurreret notam hæresios, sed temeritatis tantum.

Petes 2. Utrum Christus potestatem excellentiæ, secundum Theol. Billuart. Pars Tertia.

quam instituit Sacramenta, potuerit puro homini communicare? Christus (*Ibid. o.*) in Sacramentis duplicem habuit potestatem, unam auctoritatis supremæ, quæ ipsi competit secundum quòd Deus, & per quam agebat ut Auctor principalis in institutione Sacramentorum: hæc nulli puræ creaturæ potuisse communicari, sicut, nec ipsam essentiam divinam, indubium est. Aliam habuit potestatem ministerii principalis, seu excellentiæ, quæ ipsi competit secundum quòd homo conjungitur Verbo. Hæc excellentiæ potestas quatuor importat: 1. quòd ejus meriti operetur in Sacramentis ad eorum effectum: 2. quòd Sacramenta in ejus nomine administrantur: 3. quòd potuerit instituire Sacramenta: 4. quòd potuerit effectum Sacramenti, scilicet gratiam, sine Sacramento sed solo imperio conferre. Quæstio est, utrum hæc potestatem excellentiæ potuerit puro homini, hypostatice Verbo non unito, communicare?

R. Christus (*Ibid. art. 4.*) potestatem excellentiæ, secundum quam instituit Sacramenta, potuit puro homini communicare, non tamen in ea perfectione, & eminentia, quæ sibi competit: Prob. 1. Pars. (*Ibid.*) Nulla est implicatio 1. quòd Deus tantam gratiæ plenitudinem puro homini conferat, ut mereatur aliis gratiam, non solum de congruo, sed etiam de condigno, licet non rigoroso, quòd nullam supponit gratiam. 2. & quia gratia ex ejus merito conferretur, quòd Sacramenta in ejus nomine administrantur. 3. quòd potestate delegata, & dependente a supræma instituat signa sensibilia, quibus annectat vim causandi gratiam, 4. quòd independentè ab his signis sensibilibus, seu Sacramentis possit solo imperio, nutu, sic disponente Deo, conferre gratiam: in his, inquam, nulla apparet implicatio; atqui in his sita est potestas excellentiæ, ut patet ex notamine, ergo. Consequ. Quamvis ut homo dicitur instituire Sacramentum, non sufficiat, quòd determinet rem sensibilem, cui non ipse, sed Deus annectat vim significandi, seu causandi gratiam, ut fiat in lege naturæ: sufficit tamen, si homo habet potestatem huic signo sensibili a se determinato conferendi vim significandi, seu causandi gratiam; atqui non repugnat, quòd Deus puro homini possit talem potestatem delegare, cum in hac hypothesi Deus semper esset Auctor, & causa principalis gratiæ, homo vero causa ministerialis tantum, principali subordinata: ergo. Hæc doctrinam antè S. Thom. tradiderat Aug. Tract. 5. in Joann. ubi ait: *Potuit Dominus, si velit, potestatem dare alicui servo suo, ut daret Baptismum vice sua, & transferre a se baptizandi potestatem, & constituere in aliquo servo suo; & tantam vim dare Baptismo tradendo in servum, quantum vim haberet Baptismus datus a Domino. Hoc noluit idem, ut in illo spee esset Baptizatorum, a quo se baptizatos agnoscerent.*

Prob. 2. pars. 1. Christus ut homo est instrumentum conjunctum: purus homo quavis gratia polleteret, esset instrumentum separatum. 2. Christus ratione hujus conjunctionis ad Divinitatem est principium meriti, & satisfactionis infiniti valoris, quòd puro homini competere non potest: ergo, quamvis potestas excellentiæ quoad substantiam possit communicari puro homini, non tamen in ea perfectione & eminentia, quæ est in Christo. Et quamvis Auctor hæc modificationem explicitè non apposuerit, clarè tamen indicavit *ibid.* ad 3. dicens, quòd, si Christus hæc potestatem excellentiæ alii communicasset, nihilominus *Ipsæ esset caput principaliter, alii verò secundario.*

ARTICULUS II.

Quis sit Sacramentorum Minister?

Dico 1. (*Ibid. art. 7. o.*) De lege ordinariæ solus homo, non Angelus, est Sacramentorum Minister. Prob. In Scripturis, ubi agitur de Sacramentis, soli homines designantur eorum Ministri. Sic Christus Luc. 22. solis hominibus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Solis hominibus Math. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Solis hominibus Joann. 20. *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittantur eis,* Apost. Hebr. 5. *Omnia Pontifex ex hominibus assumptus.* Act. 20. *Posuit Episcopus regere Ecclesiam Dei Jacobi 5. Infirmatur qui ex vobis? inducat presbyteros Ecclesie:* ergo. Ratio a priori (*Ibid.*) nulla est alia præter voluntatem Christi. Congruæ sunt. 1. Minister principalis Sacramentorum est Christus ut homo, ex cujus passione virtus Sacramentorum derivatur: ergo conveniens erat, ut Minister principalis non foret ipsi superior secundum naturam, qualis est Angelus. 2. Ecclesia est visibilis, Sacramentis visibilibus coadunatur, recipientes Sacramenta sunt visibiles: ergo congruum erat, ut etiam per homines visibiles administrarentur.

Dixi: de lege ordinariæ: (*Ibid.*) quia de lege extraordinariæ.

ria, & potentia Dei absoluta, Angeli possunt esse Sacramentorum Ministri. Sicut enim Deus virtutem suam non sic alligavit Sacramentis, quin possit sine Sacramentis effectum Sacramentorum conferre; ita etiam virtutem suam non sic alligavit Ecclesie ministris, quin etiam Angeli possit virtutem tribuere ministrandi in Sacramentis. Et ita quandoque contigitur testatur variz Historiz. Sic, teste Nicephoro L. 11. c. 20. S. Amphilocho ab Angelis consecratus fuit Iooni Episcopus, hancque Consecrationem ratam habuerunt ceteri Episcopi. Teste Clemente VIII. in Bulla Canonizationis S. Agnetis de Monte Politiano. Angelus ei saepe porrexit Eucharistiam. Teste Petro de Natalibus libr. 8. c. 130. & Molano ad 29 Sept. Basilica S. Michælis ab ipso fuit consecrata. Si dicas, Angelos non verè loqui, cum tamèn verba sint necessaria ad Sacramenta. R. Angelos non verè loqui locutione vitali, posse tamèn in assumpto corpore loqui locutione significativa; quod sufficit ad Sacramentum. Quod autem dixi tam in Conclusionem, quam in exceptionem, de Angelis, idem propter easdem rationes dicendum est de animabus separatis. Ceterùm (Ibid.) observandum est, quòd, quia boni Angeli sunt nuntii veritatis, si aliqùod sacramentale ministerium a bonis Angelis perficeretur, esset ratum habendum; quia deberet constare hoc fieri volentia divina. Si verò demones, qui sunt spiritus mendacii, aliqùod sacramentale ministerium exhiberent, non esset ratum habendum.

Quidam ulterius anxie querunt, utrùm homo beatus miraculose resurgens in corpore glorioso, aut apparens in assumpto, esset minister ordinarius, an extraordinarius Sacramentorum? R. breviter, fore ministerium extraordinarium, hoc sensu quòd soli viatores ordinariè conficiant Sacramenta; qui propter necessitatem, & frequentiam Sacramentorum Minister ordinarius debet nobiscum ordinariè conversari: non fore tamèn ministerium extraordinarium hoc sensu, quòd indigeret potentia extraordinaria, sed sufficeret ordinaria vi institutionis Christi absqùe nova commissione; quia retineret characterem, & posset adhibere essentialia Sacramenti, scilicet, materiam, & formam; & ita supponit S. Thom. hic ad 2. sicque ut conferens Sacramentum pertineret ad Ecclesiam militantem, quamvis illud recipere non posset; quia recipere Sacramenta pertinet ad illos, qui gratiam non habent, vel habitam augere possunt, quod non competit Beatis. Neque refert, Christum in institutione Sacramentorum allocutum fuisse viatores, ut vidimus supra; non enim ideò ad solos viatores potestatem restrinxit: sicut, licet solos presentes sit allocutus, non tamèn ad solos presentes potestatem coarctavit; sed absolute concessit presentibus, & eorum successoribus, nulla apposita conditione status viæ.

Si dicas insuper, inde sequi, quòd Sacerdos, vel Episcopus damnatus cum corpore, posset consecrare, aut ordinare. R. Posse quidem; at Deus hujus potestatis exercitium non permittit; sicut multa possunt demones, quæ Deus fieri non permittit.

Dico 2. Non omnes Christiani habent potestatem administrandi omnia Sacramenta. Est de fide contra Lutherum; qui, quamvis fateatur neminem nisi legitime vocatum posse usum sacri Ministerii sibi arrogare, contendit tamèn potestatem Ministerii omnibus baptizatis, etiam mulieribus, & pueris, esse concessam: cum e contra Calvinus eam ita restringat, ut ne quidem urgente necessitate permittat Laicis baptizare. Veritas catholica est, neminem esse idoneum Sacramentorum Ministerium, excepto Baptismo in casu necessitatis, & Matrimonio, in sententia Auctoris, nisi qui per legitimam ordinationem ad id accepit potestatem.

Prob. 1. ex Conc. Trid. sess. 7. Can. 10. ubi definitur: *Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, & in omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.* prob. 2. Juxta Scripturam, diversa officia in Ecclesia diversimodè committuntur, *Ut non sit schisma in corpore.* 1. Cor. 12. Et ideò Christus in Ecclesia constituit quosdam Apostolos, quosdam Pastores, quosdam Doctores in opus ministerii, in edificationem corporis Christi. Ephes. 4. Neque quisquam hunc honorem sibi vindicare potest, nisi *Qui vocatur a Deo, tanquam Aaron.* Hebr. 5; atqui, si omnes Fideles habent potestatem administrandi, & conficiendi quolibet Sacramentum, nullum esset discrimen inter membra Ecclesie, omnes haberent eundem actum, idem officium, nulla foret inter eos subordinatio, & compago, omnesque sibi assumerent hunc honorem, non speculidiner a Deo vocati tanquam Aaron: ergo. Neque dicas, Apostolum loqui de usu, non potestate. Loquitur enim de potestate, quam Apostoli a Christo, Aaron a Deo acceperunt; idque confirmat exemplo Christi ibid. Hebr. v. 5. qui, inquit, *Non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: filius meus es tu, ego hodie genui te.* Chris-

tus autèm non usum tantùm, sed & potestatem a Deo accepit.

Prob. 3. ex perpetua praxi Ecclesie, quæ numquam ad Sacramentorum administrationem, excepto Baptismo, nisi legitime ordinatos admisit. Undè celestis Osius Cordubensis apud Athanasium in Ep. ad Imperatorem Constantium dicit: *Non te immisceas rebus Ecclesiasticis, nec nobis his de rebus præcepta mandes; sed a vobis potius hæc educas. Tibi Deus imperium tradidit, nobis Ecclesiastica concedit:* ergo. Prob. 4. Si in veteri Lege non fuit licitum se immiscere sacris Ministeriis, nisi iis, qui erant de stirpe Aaron; unde Rex Osias 2. Paralip. 6. fuit severè punitus, quòd usurparet Sacerdotium munia; quidni a fortiori in nova Lege, in qua sacra sunt Ministeria? Itèm in omni Republica, in omni Regno bene ordinato non omnes idem officium, eandem potestatem accipiunt a Rege, sed diversi diversimodè, quidni a fortiori in Ecclesia inter omnes Respublicas ordinatissima?

Obj. cum Hæretici: Omnes Christiani sunt Sacerdotes; omnes enim I. Petri 2. dicuntur *Genus electum, regale sacerdotium.* Et Apocal. 1. S. Joann. dicit: *Fecit nos Regnum, & Sacerdotes Deo Patri suo,* ergo. R. D. Ant. Omnes Christiani sunt Sacerdotes verè, & proprie per ordinationem ad sacra munia obeunda, N. metaphoricè, quatenus offerunt Deo spirituales hostias, quæ sunt bona opera. C. Ita seipsum explicat S. Petrus ibid. vi. 5. *Ipsi, inquit, tanquam lapides vivi superedificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum.* Adde, Fideles dici Sacerdotes eodem sensu, an ibidem dicuntur Reges manifestum est autem, dici Reges metaphoricè, quatenus dominantur suis cupiditatibus.

Inst. 1. Christus in ultima cœna Luc. 22. omnibus Fidelibus in persona Apostolorum præsentium dixit: *Hæc facite in meam commemorationem;* atqui per hæc verba Apostoli sunt instituti veri Sacerdotes: ergo. R. D. Maj. Si hæc verba intelligantur de sola receptione Eucharistie, C. si intelligantur de ipsa Consecratione, N. Alioquin omnes Fideles non solum possent, sed etiam tenerent consecrare, cum ibi sit præceptum; quod tamèn negant ipsimet Hæretici. Sed de hoc alibi.

Inst. 2. Omnes Christiani sunt Fratres Christi; atqui Christus est verè, & proprie Sacerdos: ergo & omnes Christiani. R. D. Maj. Omnes Christiani sunt fratres Christi per adoptionem, C. per naturam, N. Non autem eadem sunt iura fratrum adoptatorum, & naturalium: imò neque fratres naturales in familia bene instituta habent eundem locum, & eadem munia.

Inst. 3. Christus Matth. 20. damnat istam diversitatem graduum inter Pastores, & plebem. Dicit enim: *Qui voluerit inter vos major fieri, sit vester minister:* ergo. R. N. Ant. Ad Prob. Christus ibi commendat humilitatem, increpando immoderatam cupiditatem filiorum Zebedæi; non verò avertit Hierarchiam Ecclesiasticam. At, ut jam monui, hæc materia iterùm redibit de singulis Sacramentis.

Petes, utrùm minister activè concurrat ad effectum Sacramenti: R. affirmative: (Ibid. art. 3. o.) quia eadem est ratio ministri, & instrumenti; utriusque enim actio exterior adhibetur, & sortitur effectum ex virtute principalis agentis, qui est Deus; atqui Sacramenta activè concurrunt ad effectum: ergo, & ministri. Et ideò Sacerdotes dicuntur verè absolvere, baptizare, &c.

ARTICULUS III.

Utrùm per malos Ministros sacramenta validè conferri possint?

PER malos Ministros intelligimus eos omnes, qui non sunt in statu gratiæ, tam Infideles, & Paganos, quam Fideles, tam Hæreticos, quam Catholicos, sive sint excommunicati, suspensæ, aut degradati, sive non. Posset equidem proponi duplex Quæstio, altera de probitate, altera de fide Ministri, ut facit Auctor hic art. 5. & 9. & plures alii; sed propter affinitatem, utramque conjungimus: utriusque enim sunt ferè eadem rationes, & una sequitur ex altera. Si namqùe fides non requiritur in Ministro ad validitatem Sacramenti, sequitur, quod non requiratur status gratiæ, qui sine fide haberi non potest.

Sæculo 3. exortus est error, asserens non esse vera Sacramenta, ab Hæreticis, & Schismaticis collata. Hujus erroris primus Auctor fuit Agrippinus, nus ex Prædecessoribus S. Cypriani in Sede Carthaginiensi circa ann. 217. ut testatur Aug. 12. de Bapt. c. 7. & 8. & Vincentius Lirinensis in Commun. c. 9. Hunc Agrippinum secutus est S. Cyprianus cum pluribus Episcopis, tum Asiæ, tum Africæ; licet etiam multi reluctarentur. Hinc

DE SACRAMENTIS IN COMMUNI.

Hinc acris concertatio inter Cyprianum, & Stephanum Papam circa validitatem Baptismi ab Hæreticis collati. De qua abundè infra in Digress. Historica.

Sæculo 4. in eunte, Donatistæ ut prætextum haberent rejiciendi consecrationem Cæciliani in Episcopum Carthaginiensem, factam a Felice Aptunginato, quem traditionis sacrorum Codicum insimulabant, dixerunt, Sacramenta collata ab Hæreticis extra Ecclesiam, aut ab improbis intra Ecclesiam, esse nulla. Deinde, suum dogma emolientes, distinxerunt inter peccatorem oculum, & publicum; & Sacramenta ab oculo peccatore, non a publico, valida esse, dixerunt. Ita refert Aug. l. 2. contra Ep. Parmen. c. 13. Postea Albigenses, & Valdenses Sacramenta: a quocumque malo Ministro collata, rejecerunt. Ulterius processu Wiclefistæ ea tantum Sacramenta valida censuerunt, quæ a Ministris prædestinatis conferrentur. Contrà quos omnes

Dico. (Hic art. 5. & 9.) Mali Ministri, etiamsi Hæretici, imò & pagani validè conficiunt Sacramenta, modò aliunde omnia ad illorum validitatem necessaria adhibent, materiam scilicet, formam, & intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Conclusio quantum ad Paganos spectat, tantum Baptismum; hoc enim solum Sacramentum potest ab illis confici. Quantum ad peccatores, & hæreticos spectat etiam alia Sacramenta, si sint legitime ordinati. Undè Sacerdos, vel Episcopus peccator, seu hæreticus validè baptizat, confirmat, consecrat, &c.

Prob. 1. ex Scriptura. Joann. 1. de Christo dicitur: *Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.* Quibus verbis non significatur, Christum solum esse ministrum Sacramenti; si quidem etiam ejus Discipuli baptizarent: sed potestatem Baptismi ad ipsum solum pertinere, ministerium autem ad Apostolos; atqui malus minister non potest impedire potestatem Domini: ergo. Ità ratioematur August. Tract. 5. in Joann. addens: *Quid tibi faciam malus minister, ubi bonus est Dominus?* Conf. Qui baptizati erant Baptismo Joannis, iterùm debeant baptizari Baptismo Christi; qui autem erant baptizati a Juda Baptismo Christi, non iterùm baptizabantur: ergo Baptisma Christi a perverso etiam ministro collatus, est validus, quoniam semper est Baptisma Christi, qui baptizat in Spiritu S. Ità Aug. ibid. *Dedit Judas, inquit, & non baptizatum est post Judam: dedit Joannes, & baptizatum est post Joannem: quia, si datus est a Juda, Baptismus Christi erat; qui autem a Joanne datus, Joannis erat.* Sic ergo quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si Baptismus Christi erat, Christus baptizavit. Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam: quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: *Hic est, qui baptizat.*

Prob. 2. Ex traditione constanti Ecclesie. Hæc autem Traditio constat 1. Ex solemnibus Rescriptis Stephani Papæ, quod refert S. Cyprianus Ep. 74. ad Pompejum his verbis: *Si quis a quacumque hæresi venerit ad vos, nihil innovet, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in penitentiam.* 3. Ex Aug. qui l. 2. de Bapt. contra Donat. c. 9. dicit: *Consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum; & hæc sola observabatur inducere volentibus novitatem.* S. Cyprianus ipse agnovit hanc consuetudinem, & traditionem in Ecclesia, eamque impugnare conatur; Ep. 71. ad Quintum, *Non est, inquit, de consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum.* Ep. 74. ad Pompejum: *Consuetudo sine veritate, vetustas erroris est.* Ep. 73. ad Jubajanum: *Sed dicit aliquis: Quid ergo fiet illi, qui in præteritum de hæresi ad Ecclesiam venientes sine Baptismo admissi sunt?* Quo in loco, inquit August. l. de Bapt. esp. 9. *apertè indicat, fuisse etiam consuetudinem Ecclesie.* Et cap. 7. probat contra eundem Cyp. hanc consuetudinem esse ex Apostolica Traditione derivatam: quia que per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur.

Prob. 3. Ex Conciliis, quæ suis definitionibus Traditionem hanc firmannt, & Conclusionem nostram decretoriè asserunt. Concilium Arelatense anno 314. can. 8. *De Africa, inquit: quædã propria lege sua vitunt ut rebaptizent, placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum Symbolum; & si periderit eum in Patre, & Filio, & Spiritu S. esse baptizatum, manus ei tantum imponantur. Quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.*

Concilium generale Nicænum l. ann. 325. Can. 19. decrevit, rebaptizandos esse Paulianistas, qui formam Baptismi non servabant, ut tradunt Aug. libr. de Hæresibus c. 44. Hieron. in Dialogo adversus Luciferianos, & Innoc. l. Ep. 22. ad Episcopos Mæcedoniæ c. 5. Canone autem 8. jubet, Catharos, seu Novatianos, qui formam servabant, admitti per solum manuum impositionem. Ex quo evidentè sequitur, omnium Hæreticorum Baptisma, præter Paulianistarum, & eorum qui non Theol. Billuart. Pars Tertia.

servabant formam, ex mente Concilii esse admittendum.

Concilium Constantinop. l. secundum generale ann. 381. Can. 7. decrevit, non esse rebaptizandos Arianos, Mæcedonianos, Novatianos, Sabbatianos, Thesserdecacitas, & Apollinaristas; sed Eunomianos, Montanistas, seu Phryges, & Sabellianos: quia nempe primi servabant ritum essentialium Sacramenti, non posteriores. De Eunomianis testatur Sozomenus l. 6. c. 26. & Theodoretus l. hæret. Fab. De Montanistis Greg. Naz. Orat. 14. de Pace. De Sabellianis Aug. Hier. Innoc. I. paulo supra citati Conc. Constantiense Sess. 45. damnat hunc Art. 4. Wiclefistæ: *Si Episcopus, vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat.* Concil. Trident. sess. 7. Can. 12. *Si quis dixerit, ministerium in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere Sacramentum, anathema sit.* Et ibidem Can. 4. de B. pt. *Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit.*

Prob. 4. ex summis Pontificibus. Præter Stephanum jam laudatum, qui tam constantè restitit Cypriano, & aliis rebaptizantibus, Siricius desinente sæculo 4. Ep. ad Himerium Tarracensem. *Primo itaque, inquit, pagina tue fronte signasti, baptizatos ab impiis Arianis plurimos ad Fidem Catholicam festinare, & quosdam de Fratribus nostris eadem denud baptizare velle, quod non licet: cum hoc fieri & Apostolus vetet, & Canones contradicant.* Innoc. I. in eunte sæculo 5. Ep. ad Victricinium Rothomagensem can. 8. dicit: *Ut venientes a Novatians, vel Montensibus per manus tantum impositionem suscipiantur: Quia quomòs ab Hæreticis, tamèn in Christi nomine sunt baptizati.* Nicolaus I. ad consulta Balazarum c. 104. *A quodam Judea, inquit, nescitis utrum Christiano, an Paganò, multos in Patria vestra baptizatos asseritis; & quid de his sit agendum consultis. Et profectò, si in nomine sanctæ Trinitatis baptizati sunt, constat eos non esse denud baptizandos, Cap. Romanus de Consecr. Dist. 4. dicitur: *Romanus Pontifex non hominem judicat qui baptizat, sed Spiritus Dei subministrare gratiam Baptismi, licet Paganus sit, qui baptizat.* Eugenius IV. in Decreto unionis: *In casu necessitatis etiam Paganus & baptizare potest.**

Prob. 5. (Ibid.) rationibus Theologicis. Ministri Sacramentorum instrumentalitè operantur in Sacramentis; est enim eadem ratio instrumenti, & ministri; atqui instrumentum non agit secundum propriam formam, aut virtutem, cui intendat assimilare effectum, sed secundum virtutem principalis agentis, a quo movetur; & ideò accidentarium est instrumentum, in quantum est instrumentum, qualecumque formam habeat, præter id quod exigitur ad rationem instrumenti: sicut per accidens est quod corpus medici, quod est instrumentum animæ habentis artem, sit sanum, vel infirmum; quòd fistula, per quam transit aqua, sit argentea, vel plumbea; quòd sicut, quamvis minister Sacramenti sit sine fide, vel gratia, validè confert Sacramentum Conf. (Ib. art. 5. ad 2.) Artifex potest operari per instrumentum carens vita, & a se separatam quantum ad corporis unionem, modò sit conjunctum per quandam motionem; sic enim agit non solum per manum, sed etiam per securim: ergo paritè Christus, qui est principalis Artifex Sacramentorum, potest in illis agere per fideles, & bonos ministros tanquam per membra viventia, & per infideles, & malos tanquam per instrumenta mortua.

Ad hæc Auctoris rationes redeuntur pro majori parte argumenta, quibus Aug. premebat Donatistas Illos etiam urgebat, sic eorum principis. Ideò secundum Donatistas Baptismus Hæretici est nullus, quia Hæreticus Spiritum S. quem non habet, alii dare non potest; atqui hæc ratio fundamentalis ex eorum principis est nulla: ergo. Prob. Minor. Secundum Donatistas Baptismus peccatoris occulti est validus; atqui tamèn peccator occultus non habet Spiritum S.: ergo.

Arguebat insuper ab absurdis. 1. Si virtus, & validitas Sacramenti ex meritis Ministrorum pendeat, erunt diversa Sacramenta pro diversitate meritorum in Ministris. 2. Erit perpetua incertitudo, & anxietas circa salutem; quis enim potest esse certus de fide, vel probitate Ministri? 3. Justior debeat esse, qui a meliora Sacramentum recipit.

Solvuntur objectiones ab auctoritate.

PRO solutione Objectionum, distinguendum est 1. inter Hæreticos, qui formam Sacramenti adulterant, & inter eos, qui illam servant. Ecclesia rejicit Sacramenta collata a primis, recipit a posterioribus. Distinguendum 2. inter Sacramentum, & effectum Sacramenti, seu gratiam. Minister hæreticus

Inst. 7. Qui est exclusus ab Ecclesia, non potest exercere munia Ecclesie; atqui Hæretici sunt exclusi ab Ecclesia: ergo R. D. Maj. Qui est exclusus ab Ecclesia, non potest exercere munia Ecclesie licite, Transeat: posset enim in casu necessitatis licite baptizare. Valide, Subd. Si auferatur ab eo potestas, C. si non auferatur, N. Nulli autem homini auferatur potestas baptizandi. *In quo baptizarentur Gentes*, inquit Optatus Milevit. libr. 5. contra Parmen. a Salvatore mandatum est: per quem baptizarentur, nulla exceptione discretum est. Non dicit Apostolis: Vos facite; alii non faciunt. Quisquis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. baptizaverit, Apostolorum opus implevit. Neque etiam auferatur Hæreticis legitime ordinatis potestas alia Sacramenta valide conferendi, quia remanet character. Excipitur tamen Sacramentum Pœnitentiæ, quia ad illud requiritur iurisdicção, quæ ab Hæreticis auferitur.

Inst. 8. Per Baptismum homines generantur Filii Dei; atqui Filii Dei generati non possunt nisi à Christi sponsa, quæ est Ecclesia: ergo Hæretici, qui sunt extra Ecclesiam, valide non baptizant. R. N. Conseq. si enim, qui baptizantur etiam ab Hæreticis, generantur Filii Dei ab Ecclesia, quia ejus sunt Sacramenta, quæ ministrant Hæretici. Sicut enim, inquit Aug. libr. 5. de Bapt. contr. Donat. cap. 24. Sara ex utero Agar ancillæ jure conjugali genuit Abraham Ismaëlem; sic Ecclesia utitur utero ancillæ, hoc est, hæresis, ut ex divino semine, scilicet Baptismate, quod ejus est, Christo sponso suo filios procreet.

Inst. 9. Sacramentum est actio Ministri: ergo, si actio Ministri sit immunda & sacrilega, sic erit Sacramentum, consequenter nihil proderit, sed potius nocet R. Actionem mali Ministri esse malam in genere moris, non vero genere signi à Deo instituti, in quo consistit ratio Sacramenti.

Obj. 2. Specialiter de Paganis. Aug. libr. 2. adversus Parmen. cap. 13. & libr. 7. de Bapt. cap. 53. videtur dubitare, utrum Baptisma collatum à Pagano sit validum: ergo R. Aug. nihil hac de re voluisse affirmare; quia, ut ibid. dicit, nondum erat in Ecclesia definitum. Cum autem nunc à Summi Pontificibus & Conc. Florent. sit definita, nullus restat dubitandi locus. Aliunde, quamvis Aug. rem tanti momenti nondum in Ecclesia definitam pro sua modestia asserere non vellet; indicat tamen eodem Cap. 53. se ita affectum, ut haberet ratum Baptisma, *Ubi cumque & à quibuscumque verbis Evangelicis consecratum*: & rationes, quas neget contra Donatistas, ut plurimum militans pro Baptismo dato à Pagano, sicut pro dato ab Hæretico. Pro tota materia hujus Articuli confer Diss. 2. de Bapt. art. 2.

ARTICULUS IV.

Utrum mali ministrantes Sacramenta, peccent?

PRŒnotanda est (*Hic quest. 64. art. 6. ad 3. & in 4. d. 24. quest. 1. art. 5. quest. 5. ad 4.*) distinctio inter Ministrum solemnitatis seu ex officio, & Ministrum necessitatis. Minister solemnitatis tenet ex officio dicitur, qui speciali consecratione ad Ministerium Sacramentorum est deputatus, ut Sacerdos consecrans aut absolvens. Minister necessitatis est: quia nulla consecratione deputatus Sacramentum ministrat propter necessitatem, ut Laicus baptizans.

Dico 1. (*Hic cit. o.*) Minister solemnitatis conficiendo vel ministrando Sacramenta in peccato mortali peccat mortaliter. Prob. 1. ex Scriptura. Non minus, imò magis requiritur mundities in Ministris Sacramentorum novæ Legis, quam antiquæ: hæc enim illorum erant figuræ tantum & umbræ; atqui in Ministris Sacramentorum antiquæ Legis requirebatur mundities & sanctitas sub gravi peccato; ergo. Prob. Min. Ita. 2. dicitur: *Mundamini, qui fertis vasa Domini*. Exod. 19. *Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percussat eos*. Levit. 21. *Sancti erunt Deo suo, & non pollutent nomen ejus*. Ibid. 22. *Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra (Aaronis) ad ea, quæ consecrata sunt... in quo est immunditia, peribit coram Domino*. Gravis pena indicat gravitatem delicti: ergo. Prob. 2. ex Jure. Extra *De temporibus ordinand.* Cap. ult. de malis Clericis decernit, quod, si non poeniterint, monendi sunt: & sub interminatione divini iudicii obstandi, ut in testimonium suæ damnationis in susceptis etiam Ordinibus non ministrarent. Ibid. *De habitibus Clericorum* C. *Quæstionum est*, idid. Pontifex pronuntiatur, quemlibet Clericum, qui mortali peccato, quoad se ipsum constat esse suspectum.

Prob. 3. ex Patribus. S. Dionysius cap. 1. Eccles. Hierarch. dicit, quod *Malis non est fas tangere symbola*: id est, signa sacramentalia. Aug. 1. contra Ep. Parmen. cap. 10. *Omnia inquit, Sacramenta cum obstat indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus*. Refertur C. *Omnia* 1. quest. 1. Idem in Ps. 103. *Videant qualem rationem habituri sunt cum Deo qui Sanctis non sanctè utuntur*. Et Tract. 5. in Joann. *Ego dico & omnes dicimus, quia justos esse oportet tantum iudicium Ministros*. Greg. Magnus libr. 1. Ep. 24. nunc 25. *Necessè est, inquit, ut esse mundus studeat manus, quæ diuere sordes curat, ne tacta quæque deterius inquinent... scriptum namquè est: mandamini, qui fertis vasa Domini*.

Vides, quosdam infundatè distinguere inter malos conficientes Sacramenta & ministrantes tantum, scilicet, Eucharistiam, quasi conficientes peccent quidem, at non ministrantes tantum: prolata enim testimonia ex Scriptura, Jure, & Patribus, afficiunt pariter ministrantes, & conficientes. Quod & aperte significat Auctor in 4. d. 24. q. 1. art. questio. 5. ad 2. ubi dicit, quod immundi, *Qui tangunt res sacras, quasi suo officio fungentes, peccant mortaliter*. Idque suadet ejus ratio sequens. Unde

Prob. 4. ratione. (*Ibid.*) Qui in peccato mortali conficit aut ministrat solemniter & ex officio Sacramentum, gravem irreverentiam committit contra Christum Sacramentorum Auctorem & ipsam Sacramenti sanctitatem, quam, quantum in se est contaminat; atqui hæc irreverentia est ex genere suo peccatum mortale: ergo. Prob. Maj. Minister speciali consecratione deputatur ad Sacramentorum ministerium; & se illorum Ministrum exhibens, tenetur hoc ipso & vi status conformari tam Christo Sacramentorum institutori, cui famulatur, juxta illud Lev. 19. *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, quàm sanctitati Sacramenti, quod perficit, juxta istud aliud Is. 42. Mundamini, qui fertis vasa Domini*. Ergo.

Dico 1. D. Thom. hic art. 5. ad 5. dicit, bonitatem Ministri requiri tantum ex decencia: ergo R. D. Ant. D. Thom. dicit, bonitatem Ministri requiri ex decencia tantum, ut valide conferatur Sacramentum, seu ut dicit Cajet. ex parte operati, C. ut licite conferatur, seu ex parte operis operantis, N. *Querit enim in hoc Art. 5. S. Thom. utrum Sacramenta per malos Ministros valide conferantur*; in hoc autem, quem veramus, utrum licite?

Dico 2. Sicut ministratur Deo in Sacramentis, ita per opera charitatis; atqui mali non peccant, si ministrant Deo in operibus charitatis, quin imò hoc est eis consulendum: ergo nec qui ministrant in Sacramentis R. N. Conseq. (*Ibid. ad 1.*) Disparitas est, quod opera charitatis non sunt aliqua consecratione sanctificata, sed ipsa pertinent ad justitiam sanctitatem sicut quædam justitiæ partes; & ideo homo, qui se exhibet Deo Ministrum in operibus charitatis, si sit justus, amplius sanctificatur; si vero peccator, per hoc ad sanctitatem disponitur. Sed Sacramenta in seipsis sanctificationem quandam habent per mysticam consecrationem, & ideo præxigitur in Ministro sanctitas justitiæ, ut congruat suo ministerio; unde incongruè agit & peccat, si in peccato existens ad tale ministerium accedat.

Dico 3. Confirmatus, profutens in peccato mortali fidem coram Tyranno, agit ex officio, & ut ad hunc actum consecratus: similiter conjuges exorcentes actum conjugalem, ad quem acceperunt potestatem, & gratiam per Sacramentum; atqui tamen, nec ille, nec isti peccant: ergo R. D. Min. Nec ille nec isti peccant, & eorum actiones sunt sacramentales, N. & eorum actiones non sunt sacramentales, C. Conclusio autem nostra est de Ministro conficiente, vel conferente Sacramentum, adeoque de actione sacramentali, id est, de actione, quæ vel sit factiva Sacramenti, aut proximè conducat ad ejus confectio-nem, vel quæ sit Sacramenti facti distributiva: quod diligenter adverte pro pluribus casibus, infra deducendis. At verò nequè professio fidei coram Tyranno, nequè actus conjugales sunt actiones sacramentales, seu actiones factivæ Sacramenti, aut illius distributivæ.

Dico 2. (*Ibid. ad 3.*) Sacerdos, & a fortiori Laicus, existens in peccato mortali non peccat, saltem graviter, baptizans in casu necessitatis; secus ministrans in aliis Sacramentis. Ita communiter cum Auctore contra paucos, Prob. 1. pars. Quamvis sanctitas Christi, & Sacramenti sit ratio formalis, ob quam Minister debeat esse sanctus, obligatio tamen in Ministro habendi sanctitatem non oritur ex ipsa Christi, & Sacramenti sanctitate præcisè secundum se, sed ex illa per ordinem ad consecrationem Ministri, quatenus cum se gerat ut personam ad hoc speciali consecratione deputatam, tenetur ex hoc ipso conari, ut conformetur Christo, cui famulatur, & sanctitati Sacramenti, quod perficit, ut dictum est; atqui Sacerdos baptizatus in casu necessitatis, in quo posset baptizare Laicos, licet sit ad hoc consecratus, non tamen hic agit ut consecratus, nec se exhibet ut Ministrum Christi, & Ecclesie, sed succurrit necessitati patienti, & per accidens deservit principali agenti, non in actu aliquo Ordinis, aut sacre potestatis, sed in eo, in quo quilibet homo posset deservire: ergo. Conf. ab eo, quod contingit in humanis Rusticis, qui per accidens, & in casu necessitatis Regi deservit, non teneatur ministrare cum eo speciali ornatu, & munditiis, sicut qui ex officio ad id est deputatus: ergo similiter. Dixi: *Non peccat, saltem graviter*: quia, cum posset eli-

elicere actum contritionis in instanti, hæc aliqualis indecentia non videtur omnino excusanda.

Prob. 2. pars. (*Ibid.*) Tum quia alia Sacramenta non sunt tantæ necessitatis, sicut Baptismus. Tum quia in iis Minister non potest agere nisi vi specialis consecrationis, & spiritualis potestatis, consequenter nisi ut publicus Ecclesie Minister, ut patet dum Sacerdos absolvit poenitentem morti proximum. Neque tamen inde sequitur (*Ibid.*) quod Minister sit perplexus, & sive absolvat, sive non absolvat, urgente necessitate, peccet; quia cum contritio sit actus spiritualis, & instantaneus, ut jam dixi, potest contrari, & sic licite absolvere.

Dico 2. cum Patre Henno: Gravis videtur irreverentia, quod hostis Christi, & servus Dæmonis præsumat in nomine Christi scienter, & adverteat immundus immundè tractare ea, quibus in Ecclesia nihil sanctius, aut magis divinum habetur: ergo R. Neque S. Thom. neque innumeros penè Theologos cum ipso sentientes, apprehendisse hanc irreverentiam esse gravem in eo, qui non ex officio, sed in necessitate baptizaret, aut corpus Christi in terram projectum colligeret: sicut nemo apprehenderet, gravem injuriam esse Regi illatam, si Rusticus illi in casu necessitatis, & per accidens inserviret trita veste amictus, etiam si elegantiores habere posset.

Neque dicas cum objicente S. Thom. loqui de ministro necessitatis, cui ob instantem baptizandi mortem non suppetit tempus efficiendi contritionem. Nam 1. cum, ut dixi, contritio sit actus interior, potest elici in instanti, sicut in casu datur casus, in quo non possit haberi: & hoc ipsum ibidem dicit S. Thom. 2. Hæc evasio aperte repugnat textui S. Doct. Proposuerat sibi argumentum, quod si malus Minister peccet ministrando Sacramenta, contingeret aliquando quod esset perplexus, & ad peccandum adactus; si enim non ministraret, dum urgente necessitate teneret, peccat; & si ministraret, etiam peccat. Respondet S. Doct. quod istud inconcensibile non curat, quia potest poenitere: sed supposito, quod noli poenitere, non est inconveniens, quod sit perplexus: & e vestigio subdit: *In articulo tamen necessitatis non peccaret baptizando*. Vides, ipsum loqui de eo, qui potuit, & noluit poenitere, qui tamen, id est, hoc non obstante, non peccat baptizando in necessitate; & rationem addert, non quia non potuit poenitere, quod indubiè dixisset, si ita censuisset, quia *Non se exhibet Ministrum Ecclesie*. Id item aperte constat ex 4. sent. d. 24. quest. 1. art. 3. Questio. 5. ad 4. ubi dicit: *Quicumque (in peccato existens) exhibet se in aliquo actu ut Ministrum Ecclesie, mortaliter peccat... secus autem esset, si in aliqua necessitate aliquid sacramentum contingeret, vel exquireret in illo casu, in quo etiam Laici liceret: sicut si baptizaretur in articulo necessitatis, vel si corpus Christi in terram projectum colligeret*. Diceret ne forte Henno, colligenti corpus Christi projectum in terram, non suppetere tempus efficiendi actum contritionis?

Inst. Eadem est sanctitas Christi, & Sacramenti, sive in casu necessitatis, sive extra ministratur; atqui ex sanctitate Christi, & Sacramenti oritur in Ministro obligatio habendi sanctitatem: ergo R. D. Min. Ex sanctitate Christi, & Sacramenti præcisè secundum se oritur &c. N. ex sanctitate Christi, & Sacramenti per ordinem ad Ministrum ex officio, C. Solutio patet ex probat. Conclusionis.

Consecratoria.

EX dictis in utraque Conclusionem colliges 1. Sacerdotem ministrantem Eucharistiam in peccato mortali peccare mortaliter; quia, licet ejus actio non sit factiva Sacramenti, est tamen illius distributiva, & ideo sacramentalis, ad idque est specialiter consecratus; idque, ut diximus, evincunt non secus, ac de conficiente Sacramentum omnes probationes præmisse Concl. Non tamen existimamus, cum tot peccata committere, quot sunt personæ, quibus absque interruptione morali Eucharistiam ministrat; quia, licet sint plures actiones physice distinctæ, est tamen moraliter unum convivium. Secus de Sacerdote plures Poenitentes successivè absolvente; quia quælibet absolutio est judicium completum, nullo nexu cum aliis absolutio-nibus, seu judicis conexum. Consulæ, quæ dixi de peccatis Diss. 2. art. 4. ubi etiam docui, secundum probabiliorum mihi sententiam, celebrantem in malo statu committere unum tantum peccatum, contra quosdam, qui dicunt committere duo, tria, aut etiam quatuor peccata, unum offerendo, aliud consecrando, tertium sumendo, quartum sibi ministrando. Est enim istæ actiones physice distinguuntur, constitunt tamen unum mysterium, in quo ununtur. Cæterum quoad praxim sufficit illi, si dicat in confessione se celebrasse in malo statu. Non pauci etiam tenent, Sacerdotem audientem in peccato mortali non peccare mortaliter, si proponat poenitere, & de facto poeniteat ante absolutionem. Sed id nobis non probatur; quia auditio confessionis sicut ipsa confessio videtur actio sacramentalis, aut saltem

proximè ad Sacramentum ordinata, non minus quàm ministerium Diaconi ad Sacrificium. De quo

Colliges 2. probabilissimum, solemniter exercentem suum officium in peccato mortali, peccare mortaliter; quia, licet ejus actio non sit factiva, aut distributiva Sacramenti, est tamen aliquo modo sacramentalis, quatenus ordinatur proximè ad Sacramentum. Unde Apost. loquens de Diaconis 1. Tim. 3. dicit: *ministrent nullum crimen habentes*. De Subdiacono, qui minus certum sit, ita tamen plures probabiliter tenent, quia reputatur inter Ordines sacros, ut Diaconus, & etiam ejus actio proximè concurrat ad Sacramentum: sicque videtur definitum à Gregor. IX. cit. in probat. Conclusionis, *Extra de temporibus ordinandorum* cap. ult. Sub hoc Decreto, etiam censens, comprehendendi Clericos minorum Ordinum: cum sit indefinitè de omnibus Clericis: sed quia eorum ministerium remouit tantum ordinatur ad Sacramentum, propter levitatem materiam, excusantur a mortali. Propter eandem rationem excusatur a mortali, qui in malo statu Eucharistiam in vase, vel vitro inclusum de loco in loco transportant, aut cum illa dant benedictionem: cum enim mediât tantum tangant Eucharistiam, videtur levitas materiam.

Colliges 3. Episcopum, Chrisma, aut Oleum infirorum conficientem in peccato mortali, probabiliter peccare mortaliter, quia, licet ejus actio non sit factiva, nec distributiva Sacramenti, est tamen aliquo sensu sacramentalis, quatenus materiam Ordinis, & Extremæ-Uctionis conficit ex potestate Ordinis in summo gradu. Ergo, infert Henno, peccator coquens panem, qui est materia Eucharistie, peccat mortaliter R. N. Illationem; quia in coctione panis non intervenit actio sacra, qua fiat materia debita Eucharistie, sicut intervenit in confectio-nem Chrismatis, & Olei infirmorum, ut sint materia debita Sacramenti. Et hinc altera disparitas, quod panis ex se non ordinatur ad Eucharistiam, sicut Chrisma ad Confirmationem, & Oleum infirmorum ad Extremam-Uctionem. Secus tamen est dicendum de collatione Tonsuræ, de Benedictione Ecclesiarum, Vasorum sacrorum, vestium Sacerdotalium, Abbatissarum, Virginum, &c. quia hæc actiones, & similes nullatenus sunt sacramentales; neque jure divino, sed Ecclesiastico tantum, Episcopis competunt.

Colliges 4. Concionantem in peccato non publico non peccare mortaliter; quia prædicatio non est actio sacramentalis: & quamvis pertinet ad eos, qui curam animarum habent, posset tamen stando in jure divino, & secluso jure Ecclesiastico, committi Laicis. Equidem oppositum olim tenuit S. Thom. in 4. d. 19. quest. 2. art. 2. questio. 2. ubi docet, concionantem, & corripientem ex officio in peccato mortali etiam occulto, peccare mortaliter. At rectè monet eximius Sylvius, S. D. non obscurè hanc sententiam retractasse, partim 2. 2. quest. 33. art. 5. & quest. 60. art. 2. ad 3. Ubi docet, corripientem, seu judicantem ex officio in peccato mortali non peccare mortaliter; cuius tamen contrarium docuerat priori loc. cit. Partim quia lect. 1. in cap. 6. 2. Cor. de solo peccatore publico dicit, quod prædicando peccat. Ità laudatus Sylvius. Peccaret autem mortaliter peccator publicus ob scandalum; quia inde veniret in contemptum Evangelii prædicatio. Colliges 5. contrahentes Matrimonium, quamvis peccent ut recipientes indignè Sacramentum, non peccare tamen mortaliter ut conficientes; quia, licet secundum nos sint Ministri, non sunt tamen ad hoc specialiter consecrati, ideoque non agunt ex officio.

ARTICULUS V.

Utrum Minister mortalis peccati sibi conscius teneatur confiteri, antequam Sacramentum conficiat, aut ministrat?

NON est questio de Sacramento Eucharistie sive conficiendo, sive suscipiendo tantum; certum est enim, ut infra dicemus, ex Apost. juxta Ecclesie traditionem, illi præmittendam esse confessionem. Item nemo negat, quin sit salubre consilium, confessionem aliis Sacramentis conficiendis, aut ministrandis præmittere; quia, per eam securiores sumus de sanctitate requisita. At sine præceptum?

Dico: Minister sibi conscius peccati mortalis, ut eximitur a peccato irreverentiæ, & indignæ traditionis, non tenetur præmittere confessionem Sacramentis conficiendis, aut distribuendis: non tamen sufficit attritio, sed requiritur contritio, saltem prædenitè existimata. Prob. 1. Ex Rituali Pauli V. Tit. 1. Ubi declarat, non esse obligationem, sed meram convenientiam conficiendi. *Sacerdos, inquit, si fuerit peccati mortalis sibi conscius, quod absit, ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde poeniteat. Sed si habeat copiam Confessarii, & temporis locique ratio ferat, convenit confiteri*. Neque dicas cum quibusdam, tò convent esse ambiguum, & quandoque significare præceptum, ut dum dicimus, convenit jejunare,

